



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,  
Bibliothecis, et aliunde**

**Sweerts, Pierre François**

**Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.**

Ingolstadii.

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

INGOLSTADIANA.

367

ronus, Ecclesie per Heluetiam Patriarcha, religio-  
nis Catholicæ sui tēporis columna, toto Christia-  
no orbe notissimus; fide, prudentia, indefesso scri-  
bendi labore, abstinentia perenni, gravitate, animi  
puritate, flagrantissimo Dei amore, multaq; sancti-  
tate clarissimus: migravit ad Christū, festo S. Tho-  
mæ Apostoli M. D. XCVII. Anno ætat. LXXVII.

*A nobili Patricio Ioanne Wild amoris ergò erectum.*



INGOLSTADII.

IN SCHOLA THEOLOGORVM,

PETRO CANISIO SOC. IESV COL. THEOL.

**P**ETRVS CANISIVS Neomagensis è Geldria,  
S. Theologiæ Doctor, primus ex Germanis  
SOC. IESV religiosus, verè Germanus; ac de-  
inde eidem Societat. in Germania primus Prouin-  
cialis præpositus ab ipso B.IGNATIO datus; ob  
insignem animi moderationem, constantiam, pru-  
dentiam, à summis ad summa non rarè missus, vo-  
catus, postulatus: à Guilielmo IV. Vtriusque Ba-  
varie Duce ad hanc Academiam, in qua Professio-  
ris Theologi & Rectoris munere functus; ab Otto-  
ne Cardinale Episcopo Augustano ad S. Concil.  
Trident. à Carolo V. Imper. in causa religionis  
Wormatiam; ab Imp. Ferdin. Augustam, atque ad  
Episcopatum Viennensem, quem recusavit; à Pio  
IV. Pontif. Max. ad fidem in Germania ac Polonia  
propugnandâ, propagandâ &c. Cum & sacris con-  
cionibus, etiâ apud Impp. Duces, assiduè habitis, &  
varijs libris p fide, pro pietate editis, re Catholicâ  
mirificè iuuisset, promovisset; ob perpetuam vitæ  
innocentiâ, & summâ in omni virtute præstantiâ,  
admi-

admirabilem sanctitatis opinionem consecutus  
tandem Friburgi Heluet. sanctam animam Deo  
reddidit die festo S. Thomae Apostoli, Anno M. D.  
XCVII. ætat. LXXVII.

---

STATHAGAE.

EPITAPHIVM D. OTTHONIS  
COMITIS SCHOUMBURGII.

**H**ic vring, suæ consortis imagine cinctus  
Stat Comes Illustris Iadoci filius OTTHO,  
OTTHO Comes Schoumburgiacæ primariæ gentis  
Gloria, consilio præstans, dextræq; fidelis  
Ensiserâ, Turcisq; olim Galliisq; tremenda:  
Casaribus dum pro patrijs, & rege Philippo  
Bellagerit victor. Sed quem nec tela, nec hostes  
Deicere, ardens mox pustula vicit, amanti  
Et patria eripuit. flet Mars, fleuere Camæna.  
Ipse agit æternos cælesti in pace triumphos.

EPITAPHIVM MARIAE POMERANICAE  
D. OTTHONIS COMITIS  
Schoumburgij vxoris.

**H**æc MARIA est Pomeranorum sata principe fortis  
Barnimo, quam conspicuus florentibus annis  
Ottho Comes sibi consortem delegit, amore  
Casto ardens: cui fuluo auro magis aurea virtus  
Corpore in eximio regnans, animusq; pudicus,  
Admorant faculas. quater illam masculus hæres  
Effecit matrè, quorum OTTHO hæc conditus vnus  
Tres etiam nunc consilio & virtute supersunt.